



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Consvlibvs Viterbiensibvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ABBATISSÆ ET CONVENTU
sancti Ciriaci in Gerondod.

Epist. 102.
Abiolvuntur à
solutione cen-
sus unius mar-
cæ argenti.

Nostro apostolatu est compertum quod inclite recordationis Otto Imperator per privilegium suum confirmavit monasterio sancti Ciriaci de Vrbe annum censum unius marcæ argenti à monasterio vestro solvendum. Constituit præterea nobis per litteras Frederici Imperatoris ab eo pro viginti annis censum ipsum solutum fuisse monasterio memorato. Nos autem, ut Ecclesia vestra in sua maneat libertate, paterna volentes sollicitudine providere, consentientibus nuntiis vestris marcæ unam censui nostro duximus adaugendam, vos à solutione ipsius census dicto monasterio faciendâ penitus absolventes, quia nos dicto monasterio satisfieri faciemus. Datum apud Montem Flascenem IV. Non. Augusti, anno decimo.

R. CASINENSI ABBATI.

Epist. 103.
Dicit se nolle
respondere lit-
tis ejus.

Recepimus litteras tuas, & quæ continebantur in eis notavimus diligenter. Iis autem super quibus nos consulere voluisti non duximus respondendum, cum consultatio ipsa quæstionem contineat Ecclesiæ Casinensis, quæ inter te ac homines tuos sub examine judiciali dinoscitur agitari. Vnde per iudices ipsos honestius nobis potuisset exponi. Datum Viterbij V. Idus Augusti, anno decimo.

CONSVLIBVS ET POPVLO
Viterbiensi.

Epist. 104.
Vt Malfitanam
puellam super
legitimitate sua
non permittant
ob aliquo mole-
stati.

AD nostram noveritis audientiam pervenisse quod cum Thol. filius quondam Girardi Manituri Malfitanam mulierem carnaliter cognovisset, ex ea tandem filia procreata, ipsam duxit postmodum in uxorem. Verum quia puellam ipsam quidam non esse legitimam asseverant, idem T. nobis humiliter supplicavit ut eidem puellæ paterna super hoc dignaremur sollicitudine providere. Cum igitur secundum canonicas sanctiones favore subsequenti matrimonij proles de naturali prius suscepta concubitu, legitima debeat reputari, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita, prædictam puellam super legitimitate sua non permittatis ab aliquibus molestari. Datum apud Montem Flascenem III. Non. Augusti, anno decimo.

CONSVLIBVS VITERBIENSIVS.

Cum res Paterinorum decreverimus publicari, ne quis in fraudem, occasione depositi, eas detinere contendat, præsentium vobis auctoritate concedimus ut apud quoscunque, sive in Viterbio, sive in ejus districtu, res hujusmodi repereritis, liceat vobis illas accipere, ipsarumque rerum detentores, prout expedierit, arbitraria pœna punire. Quod ut liberius exequi valeatis, firmiter inhibemus ne hujus executionis obtentu futuri Consules vos præsumant ausu temerario molestare. Nulli ergo &c. nostræ concessionis & inhibitionis &c. Si quis autem &c. Datum Viterbij II. Idus Augusti, anno decimo.

ADELL. ABBATISSÆ SANCTÆ DEI
genitricis sempèque virginis Mariae &
sancti Petri Apostolorum principis, sancti-
que martyris Ciriaci in Gerondod, ejusque
sororibus canonicè substituendis.

Prudentibus virginibus, quæ sub habitu religionis, accensis lampadibus, per opera sanctitatis jugiter se præparant obviam sponso venire, sedes apostolica debet patrocinium impertiri; ne forte cujuslibet temeritatis incurtus aut eas à proposito revocet, aut robur (quod absit) sacræ religionis infringat. Eapropter, dilectæ in Christo filix, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium in Gerondod, quod in fundo beati Petri, quem bonæ memoriæ G. Marchio cum tota proprietate sua Ecclesiæ Romanæ obtulit intuitu pietatis, noscitur esse constructum, in quo divino estis obsequio mancipatæ, ad exemplar felicis recordationis Iohannis & Leonis prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum cum Clericis ministerialibus & omnibus ad idem monasterium pertinentibus sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui in eodem monasterio secundum Deum institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones & quæcunque bona idem monasterium in præsentibus justè & canonicè possidet, aut in futurum concessionem Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit

Epist. 106.
Confirmantur
eis libertates &
immunitates, &
conceduntur
eis nonnulla
privilegia.